

1282, juliol, 2

Arbitratge de Guillem Gaufred, tresorer de la seu, i Bernat de Vilafreser, sagristà segon de la mateixa església, en la causa entre Amau de Meixella i Guillema de Sarrià, cambraera del monestir de Sant Daniel, sobre drets dominicals a Toralles i Setcases.

ASD núm. 256, perg. orig., 595 x 380 mm, carta partida.

Nouerint uniuersi quod nos Berengaria Dei gratia abbatissa et uniuersus conuentus monasterii Sancti Danielis quod est iuxta ciuitatem Gerunde ex parte una, et ego Arnaldus de Mexella clericus ex altera, recognoscentes ac etiam attendentes quod cum diuerse et quamplures questiones et cause fuissent inter nos ad inuicem diucius et magnis expensis ac sumptibus agitate super prouisione uictus et uestitus que ego dictus Arnaldus dicebam me habere et propria auctoritate percipere decenter diebus omnibus uite mee racione donacionis et concessionis quam bone memorie domina Iusiana de Ceruaria condam inde mihi fecit cum instrumento sua gratuita uoluntate et racione legati siue lexie quam eadem domina Iusiana mihi fecit in suo testamento seu ultima uoluntate, quem quidem uictum et uestitum decenter dicebam me habere et percipere debere ex honore et aliis que iamdicta domina Iusiana mihi obligauit pro complendis et prestandis mihi decenter uictu et uestitu predictis diebus omnibus uite mee donec essem beneficium ecclesiasticum assecutus, de quo possem uiuere competenter. Tandem domina Guilielma de Serriano cameraria monasterii supradicti, uice et nomine suo et nostrorum abbatisse et conuentus predictorum ex una parte, et ego Arnaldus de Mexella, clericus predictus ex altera, compromisimus super omnibus et singulis supradictis et expensis per me dictum Arnallum factis occasione negocii supradicti et omnibus aliis huiusmodi negocium tangentibus uel ad ipsum facientibus principaliter uel accessorie ullo modo in uenerabiles dominos Guilielmum Gaufridi, thesaurarium et Bernardum de Uillafredario, sacristam secundum ecclesie Gerundensis ut ipsi de iure, laudo, consilio et uoluntate propria, seruato iuris ordine uel etiam non seruato dicerent, arbitrarent et etiam ordinarent inter nos super predictis quod sibi expediens uideretur, et promisimus utraque pars alteri et etiam dictis arbitris seu arbitratoribus sub pena ducentorum solidorum hinc inde utraque parti ah altera et ipsis arbitris stipulata super premissis omnibus et singulis stare, parere et obedire sentencie, arbitrio et ordinacioni quod uel quam ipsi inter nos super premissis ducerent faciendam uel etiam promulgandam semel uel pluries, prout sue uoluntati et discrecioni expediens uideretur, positis super hiis in posse ipsorum pignoribus competentibus quas tenebant, et prestito per me dictum Arnaldum iuramento de pena soluenda nisi parerem dicto, sentencie seu arbitrio eorumdem, sic uidelicet quod pars que non pareret penam amitteret antedictam, cuius medietas esset parti parenti a parte non parente et alia medietas dictis arbitris ipso facto integraliter acquisita, et quod ipsi arbitri possent cognoscere de comissione pene, dicta sua interpretari, declarare et addere ac diminuere si forsan euenerint ibi aliqua dubia uel obscura, superflua uel diminuta. Qui arbitri seu arbitratores predicti, uisis et auditis ac etiam intellectis petitionibus, responsionibus, deffencionibus, excepcionibus et racionibus utriusque parcium iamdictorum sentenciam suam dictum, arbitrium seu

ordinacionem inter partes predictas super premissis dixerunt et promulgauerunt in scriptis uidelicet in hunc modum.

Nos Guilielmus Gaufridi thesaurarius, et Bernardus de Uillafredario, sacrista secundus ecclesie Gerundensis, electi arbitri seu arbitratores et amicabile compositores a partibus in hac parte dicimus et pronunciamus arbitrando seu pro bono pacis et concordie amicabiliter componendo ac etiam ordinando sub pena .ce. solidorum a predictis partibus stipulata quod prenominatus Arnaldus de Mexella clericus, ob reuerenciam et honorem iamdicte domine abbatisse et conuentus monasterii supradicti et ob hoc ut sit deinceps pax firma et uera concordia inter ipsos diffiniat et absoluat ac penitus remittat ipsi domine abbatisse Sancti Danielis et uniuerso conuentui eiusdem presentibus et futuris omnes acciones, questiones, querimonias et demandas ac etiam quicquid et quantum iuris et rationis habet uel habere debet siue potest aliquatenus contra ipsas ratione uel occasione donacionis seu assignacionis sibi facte de uictu uidelicet et uestitu diebus omnibus uite sue a predicta domina Iusiana cum publico instrumento uel in testamento eiusdem domine Iusiane uel ratione aliquarum sententiarum seu arbitrorum latorum pro ipso et contra dominas antedictas uel quorumlibet expensarum per ipsum hucusque factarum occasione huiusmodi negocii ullo modo, uel ratione aliquorum rescriptorum papalium uel actorum aut aliorum inde proueniencium aliqua ratione siue iure aut alio quoquo modo, et quod fadat eis inde diffinicionem, remissionem et absolucionem cum instrumento iurato prout nos duxerimus cognoscendum. Dicimus etiam arbitrando et ordinando sub pena predicta quod prenominatus Arnaldus de Mexella clericus pro predictis et ratione premissorum et concessionis ac donacionis quam sibi fecit iamdicta domina Iusiana pro uictu et uestitu suo decenter diebus omnibus uite sue habeat et teneat ac possideat dum diu uixerit et dicte domine abbatisse et conuentus Sancti Danielis presentes pariter et future sibi promittant habere et tenere ac pacifice et solute ac libere possidere totum et integre honorem de Septemcasis qui fuit condamnate domine Iusiane quod iam tenet et possidet idem Arnaldus, et quem ipse Arnaldus de Mexella teneat et habeat 9-c possideat quamdiu uixerit pacifice et. quiete ac etiam potenter et integre, cum omnibus censibus, agrariis, terciis, laudismis, foriscapiis, redempcionibus hominum et feminarum et stabilimentis ac firmamentis et generaliter cum omnibus aliis prouentibus qui inde prouenerint uel exierint ullo modo, non tamen mitat homines ipsius honoris in firmancia nec fadat eis questiam, toltam uel forciam nec adempriuum forciatum nec aliquam rem illicitam eis inferat, nec de honoribus ipsius honoris alienacionem faciat in dampnum monasterii supradicti; firmet autem idem Arnaldus de Mexella et faciat omnia instrumenta que facienda et firmanda fuerint in premissis et domina abbatisse Sancti Danielis sine aliquo emolumento quod inde non habeat uel logerio firmet similiter ad dictum et iussionem ipsius Arnaldi omnia instrumenta et ea firmare teneatur que facienda et firmanda fuerint in predictis quancumque et quocienscumque per ipsum Arnaldum inde fuerit requisita. Quod si forsitan noluerit facere uel recusauerit adimplere, ipso facto et de iure ipsa instrumenta per dictum Arnaldum firmata et eius firmamentum seu firmamenta ibi factum siue facta ualeant et plenam habeant et optineant semper in omnibus roboris firmitatem ac si essent per

dictam dominam abbatissam facta personaliter et firmata. Dicimus etiam et ordinamus sub pena predicta quod iamdictus Arnaldus de Mexella ultra predicta teneat et habeat ac possideat semper diebus omnibus uite sue octuaginta solidos barchinonenses de temo quos cameraria et cellarium Sancti Danielis percipiunt et debent percipere annuatim ex castro et honore de Toraliis qui fuit condam domine Beatricis de Mediniano, quem honorem nunc tenet Raimundus de Pradis, clericus monasterii antedicti, et habeat eciam idem Arnaldus medietatem terciorum, laudismiorum, foriscapiorum, redempcionum hominum et feminarum et omnium aliorum prouentuum qui ex ipso honore de Toraliis euenerint et exierint ullo modo, de qua quidem medietate predictorum habeat et accipiat cameraria Sancti Danielis de summa uiginti solidorum et supra duodecim denarios pro firma, a .xx. uero solidis infra nichil inde habeat quoquo modo; firmet autem et firmare teneatur ipsa cameraria ad dictum et requisicionem Arnaldi de Mexella predicti et non alias omnia instrumenta que facienda et firmanda fuerint in ipso honore racione aliqua siue causa quandocumque et quocienscumque per ipsum Arnaldum inde fuerit requisita; quod si forsitan facere noluerit uel recusauerit adimplere, dictus Arnaldus faciat et firmet ipsa omnia et ipso facto et de iure firma que per ipsum facta fuerit ualeat et optinetat semper in omnibus roboris firmitatem. Et si forsitan iamdicto Raimundo de Pradis post terminum constitutum inter ipsum et dominas Sancti Danielis super solucione .Lxxx. solidorum predictorum annis singulis facienda et quibusdam aliis, ut in instrumento inde confecto inter ipsos lacius continetur, dictus inquam Raimundus noluerit soluere .Lx:xx. solidos antedictos, uel si forsitan dictus Arnaldus de Mexella noluerit sequi compositionem siue pactum que fuerint facta inter predictum Raimundum de Pradis et dominas antedictas, idem Arnaldus de Mexella habeat, teneat et possideat totum ius et racionem quod et quam predictum monasterium habet et habere debet in predicto castro et honore de Toraliis aliqua racione diebus omnibus uite sue, excepto hoc quod hodie baiulus ibi habet racione baiulie tantum, in quo dictus Arnaldus modo nec unquam nichil habeat neque petat, et dicta cameraria habeat de predictis .xn. denarios antedictos et firmet omnia instrumenta et in defectu ipsius, dictus Arnaldus iuxta formam superius comprehensam. Post mortem autem dicti Arnaldi de Mexella, uel si forsitan idem Arnaldus optineret maius uel melius beneficium ecclesiasticum quod acceptaret, predicta omnia et singula iamdicto monasterio libere et integre reuertantur ac etiam sint penitus absoluta. Dicimus etiam et ordinamus quod dictus Arnaldus de Mexella tradat nobis omnia rescripta papalia, libellos et acta et omnia alia prout nos duxerimus cognoscendum et quod de premissis fiant ad cognicionem nostram instrumenta per alfabetum diuisa que firmentur a domina abbatissa predicta et iamdicto conuentu et firmentur et iurentur ab Arnaldo de Mexella, clerico antedicto; retinemus tamen nobis quod si forsitan super predictis sunt aliqua superflua, diminuta, dubia uel obscura que nos possimus superflua rescare, diminuta addere, dubia interpretari et obscura declarare prout duxerimus cognoscendum et quod possimus cognoscere de comissione quod eciam retinemus.

Factum fuit et firmatum dictum compromissum a partibus antedictis et latum iamdictum arbitrium seu ordinacio ab arbitris memoratis .xrn. kalendas iulii anno Incarnacionis Christi millesimo .CCLXXX. secundo, presentibus dicta domina cameraria

et Arnaldo de Mexella predicto ac testibus, uidelicet Bernardus de Goello, cc;Inonico Gerundensi, Iohanne de Bisania, clerico Gerundensis ecclesie, Raimundo Pometa, Bernarda de Piraria et Bernarda de Usallo, clericis, ac pluribus aliis.

Quam quidem ordinacionem seu arbitrium iamdicta domina Guilielma de Serriano cameraria incontinenti ratam habuit et ratificauit expresse ac etiam approbavit pro se et domina abbatissa et omnibus aliis de conuentu presentibus testibus antedictis; prenomnatus uero Arnaldus de Mexella deliberare uoluit in premissis. Unde nos domina Berengaria abbatissa et domina Guilielma de Serriano cameraria et uniuersus conuentus monasterii antedicti, per nos et omnes illas que deinceps in predicto monasterio tenuerint locum nostrum, et ego Arnaldus de Mexella predictus, ratificantes et approbantes expresse dictum arbitrium et ordinacionem et omnia et singula superius comprehensa et ea etiam in omnibus et per omnia confirmantes et ipsa omnia et singula uolentes habere et optinere in omnibus et per omnia plenam roboris firmitatem, promittimus utraque pars alteri sub pena predicta et etiam sub ypotheca omnium bonorum nostrorum presencium ac etiam futurorum supradicta omnia et singula in omnibus et per omnia rata et firma ac secura tenere semper et habere ac etiam in omnibus obseruare iuxta modum et formam superius comprehensos, nec in aliquo reuocare, contrauenire iure aliquo siue causa. Et nos domina abbatissa et conuentus promittimus sub ypotheca bonorum nostrorum et monasterii supradicti quod in iamdictis honoribus non tangamus in aliquo nec tangi ab aliquo faciamus modo aliquo siue causa, et si faceremus, promittimus illud totum tibi dicto Arnaldo in integrum resarcire cum omni integritate quod inde passus fueris ad cognicionem dictorum arbitratorum uel in eorum defectu ad cognicionem domini episcopi Gerundensis, sine malo placito atque mora. Et ego Arnaldus de Mexella predictus diffinio et remito ac penitus absoluo pro predictis uobis domine abbatisse et conuentui antedictis ob uestri reuerenciam et honorem omnes acciones, questiones et demandas quas habeo uel habere debeo siue possum contra uos et monasterium uestrum racione uel occasione donacionis et concessionis cum instrumento mihi facte a predicta domina Iusiana, uel lexie seu legati ab eadem domina mihi factarum in suo testamento seu ultima uoluntate uel racione aliquarum sententiarum uel arbitratorum pro me latorum et contra uos aliquatenus usque modo uel expensarum per me factarum occasione huiusmodi negocii ullo modo uel racione aliquorum rescriptorum papalium uel actorum aut qualibet alia racione uel iure siue causa, aut alio quoquo modo, ita quod predictis racionibus uel aliis quibuscumque negocium huiusmodi tangentibus quoquo modo numquam possit uobis uel locum uestrum tenentibus in futurum aliqua questio uel accio siue demanda moueri a me uel ab alio loco mei iure aliquo siue causa, ymo sint predicta omnia et singula uobis diffinita, remissa et penitus absoluta et ab omni iure meo et meorum penitus expedita, prout melius et lacius, utilius et comodius <lici uel intelligi siue excogitari possit, et ego absoluo et diffinio ea uobis cum hoc presente instrumento firmiter omni tempore ualituro, faciendo inde uobis et uestris bonum et irreuocabilem finem et firmum ac sincerum pactum reale et personale de non petendo, mihi et meis super premissis imponendo silencium sempiternum, iurans per Deum et eius sancta .1111.or Euangelia corporaliter tacta predicta omnia et singula semper in omnibus et per omnia rata et

firma habere et inuolabiliter in omnibus obseruare nec contrauenire iure aliquo siue causa; et si aliquo iure scripto uel non scripto hiis passem uenire obuam in futurum, illis omnibus renuncio prorsus ac penitus et irreuocabiliter in presenti. Hec autem fado saluo et retento mihi in omnibus iure meo super hoc, uidelicet quod predicta diffinicio et remissio uel absolucio predictorum mihi non preiudicet uel aliquatenus preiudicare possit in aliquo ullo modo super hoc quod predictos honores et possessiones et iura et alia superius mihi per dictos arbitres assignata et concessa inde minus habeam in aliquo casu uel habere debeam aliqua ratione et quod omnia instrumenta quecumque usque nunc in predicto honore de Septemcasis firmata et concessa fuerunt, plenam habeant et optineant semper in omnibus roboris firmitatem, et si aliquo casu ultra modum et formam superius comprehensis super predictis uel eorum aliquo a uobis uel aliquo alio loco seu ex parte uestri mihi aliquid tangeretur uel impediretur quominus ea habere possem integraliter ut est dictum, predicta diffinicio et remissio nullam haberet roboris firmitatem ymo esset mihi saluum ius in omnibus et singulis antedictis. Et nos iamdicte domine abbatissa et cameraria et uniuersus conuentus predictus, attendentes quod dicti arbitri sic post dictum arbitrium sunt interpretati et declarauerunt predicta, laudamus et concedimus ac etiam approbamus et confirmamus omnia supradicta, sic quod per premissa nullum ut est dictum preiudicium tibi fiat et quod iamdicta instrumenta per te usque nunc firmata et concesa et firmanda et concedenda, tam de honore de Septemcasis quam de Toraliis plenam habeant et optineant in omnibus roboris firmitatem.

Actum est hoc .VI. nonas iulii anno Domini .MCCLXXX. secundo.

Sig+num Berengarie, Dei gratia abbatisse, sig+num Guilielme de Serriano, camerarie predictarum, sig+num Cecilie de Fuxano, sig+num Agnetis de Solerio, sacristane, sig+num Blanche de Miniana, sig+num Berengarie de Trilia, sig+num Agnetis de Scala, sig+num Raimunde de Ceruiano, sig+num Sancie de Ceruiano, sororis eius, sig+num Brunissendis de Cursauello, sig+num Sibilie de Sancto Cipriano, sig+num Geralde de Podiopardinarum, sig+num Ermengardis de Uillanoua, sig+num Guilielrrie de Belestario, sig+num Bartholomee de Ciyario, sig+num Fresche de Torrente, sig+num Elicsendis de Basilia, sig+num Guilielme de Aquilario, sig+num Berengarie de Castroepiscopali, sig+num Alamande de Castanyeto, sig+num Beatricis de Capraria, sig+num Richencie, sig+num Garsendis de Matha, sig+num Pelegrine de Sancto Genesio, dominarum monialium monasterii Sancti Danielis predicti, qui predicta omnia et singula firmamus et laudamus, firmarique rogamus. +Berengaria, Dei gratia Sancti Danielis abbatissa". Sig+num Arnaldi de Mexella, clericus supradictus, qui hoc firmo*. El document manca de clausura, possiblement per haver estat escapçat.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 534-541